



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

Concilivm Apvd Trosleivm, In Qvo Herlvinvs Comes Poenitentiam subiit pro  
vxore quam duxerat alia viuente, anno DCCCCXXVII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

IOANNES C. APVD CARILOCVM. HENRICVS I. IMPERATOR.  
P. X. CAROLVS SIMPLEX R. FR. 21

ANNO CHRISTI  
924. ecclesiam Camaracensem perpetrauerat : & vadatus argenti libras centum, pacatur cum Stephano præfatæ vrbis episcopo, præsente Heriberto & pluribus qui aderant, Franciæ comitibus.

NOTA SEVERINI BINII.

<sup>a</sup> *Concilium.*] De hoc Concilio in Galliis habitu Flodoardus libro 4. capite 19. Duarum aliarum Synodorum eodem loco celebratarum idem Flodoardus meminit: quarum una habita fuit sub præsidio Heriuei Rhemensis archiepiscopi, in præsentia Caroli anno 921. Altera vero post occidum Seulfum, & quinquennalem Heriberti comitis filium Rhemensis ecclesiæ episcopum electum, celebrata est anno 927. in qua Herluinus comes publicam egit poenitentiam, eo quod duxisset vxorem alia adhuc superiuente. Vide chronicum Cameracense libro 1. cap. 63.

Exstat supra  
sub Sergio  
III. anno  
909.

ANNO CHRISTI  
926. CONCILIVM APVD CARILOCVM  
ANNO DCCCCXXVI.

**E**x tabulis Carilocensis monasterii. Anno incarnationis dominice DCCCCXXVI. dominus Anchericus sanctæ Lugdunensis ecclesiæ archiepiscopus, dominus quoque Geraldus Matiscensis ecclesiæ venerabilis pontifex, nec non Odelardus Maurianensis episcopus, ad Carilicum monasterium conuenerunt, ibique diu vigilanti cura synodali consuetudine tractauerunt, qualiter ecclesiis locisque sanctorum desolatis propter prauorum hominum nequissimam cupiditatem subuenire potuissent, &c. Enumerantur deinceps ecclesiæ decem, quas Synodus monasterio diuersis locis ablatas restituí iussit.

ANNO CHRISTI  
927. CONCILIVM APVD TROSLEIVM,  
IN QVO HERLVINV S COMES POENITENTIAM  
sabuit pro vxore quam duxerat alia viuente,  
anno DCCCCXXVII.

**F**LODOARDVS item in chron. Anno, inquit, DCCCCXXVII. Synodus sex episcoporum apud Trosleum habita, contradicente rege Rodulfo, per missos Heriberti comi-

C iij

tis, & mandante illi ut Synodum differret, sibi obuiam ad Compendium veniret. Quod ille agere renuit, Synodo vero interfuit: ubi Herluinus comes ad pœnitentiam venit pro vxore quam duxerat alia viuente. *Breuius etiam in historia Rhemensi lib. iv. cap. xxi.* Synodus, inquit, sex episcoporum Rhemensis diœcœfeos apud Trolleum habita, Heriberti comitis iussione conuocata, rege tamen Rodulfo contradicente, patrata est.

CONCILIVM DVISBERGENSE,  
IN QVO ILLI QVI BENNONEM METENSEM  
episcopum excœarent excommunicantur, anno Do-  
mini DCCCCXXVII. tempore Ioannis papæ X.

N O T A.

Benno ex  
eremita  
episcopus  
Metensis.

*Concilium.*] Anno Domini 927. Benno, dum in Alpibus eremiti-  
cam vitam duceret, electus est Metensis episcopus, & post biennium  
a Metensibus est excœcatus: cuius immanis sacrilegii causa hæc Syn-  
odus congregata, omnes illius sceleris autores excommunicauit, &  
Adalberonem loco eius substituit. Porro Benno hæc omnia patienter tolerans, exemplo magnæ tolerantiae relitus, cognominatus est  
Benedictus. *Flodoardus in chronicō anno 928.*

VITA  
LEONIS PAPÆ VI.

ANNO  
CHRISTI  
918.

Leo VI.  
quando &  
quamdiu  
pontifex.

**L**EO Christophori primicerii filius, huius nominis sextus, factus est pontifex circa finem anni Christi 928. tempore Constantini imperatoris. Sequenti anno in carcerem detrusus, post sex menses & dies quindecim mortuus est. *Baronius ex Vaticanis indicibus anno 929. numero 1.*